Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1785)

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 5. Maii.

M. PONTIO MAURIN, Doctore Medico, Præside.

An à spiritibus animæ functiones?

QUI negat animam esse actum corporis organici, potestate vitam habentis, non tantùm pugnat cum Philosophorum principe; sed cum veritate. Organorum alia solida, alia fluida: hæcque liquida aut impellentia. Ad naturam solidorum certa conformatio requiritur. Liquidorum vis à motu, qui pendet à vi elasticâ impellentium. De motu liquidorum non immeritò controvertitur? an circulariter fiat ab uno vasorum genere in aliud? an suus cuique vasi proprius sit liquor.

NON eadem est Philosophorum sententia. Alii circularem sanguinis motum fieri autumant: alii liquorem intra propria vasa contineri asserunt. Ultimi iis fulciuntur rationibus. Ut detur sanguinis circuitus, ductus debent reperiri: nullos esse experientiâ constat. Dum arteriæ è trunco recedunt, & ramulos effingunt, nequaquam cum venarum extremitatibus junguntur. Dum venæ deserunt truncum, in venulas dividuntur, partis substantiam pervadunt, nullam cum arteriis communionem habent. Cum sanguis ab arteriis per membranosam substantiam, fibrosam, & densam remeat, sola tenuior sanguinis portio per exiguos poros ad venas reverteretur. In venæ sectione sanguis in partis substantiâ intricaretur, nec tantâ copiâ, nec intra tam breve tempus efflueret, multoties in unâ horâ febrium intermittentium accessio invaderet, humorem, qui in vitio est, velocissimus sanguinis motus secum raperet, & ad cor deferret. Secto in vivente osse, totius corporis sanguis per illam apertionem efflueret, excerneretur faciliùs per patentem viam, quàm remearet in venam, quæ cum parte confunditur. Brachium vinculo constringatur pulsante arteriâ, ad partes externas semper propellitur sanguis. Propter vinculum sanguis per venas ad cor non recurrit: debet dilatari arteria aut disrumpi vena. Aliorum rationes hæ sunt; cum liquor è proprio vase exilit, ut circularem agat motum, ab arteriâ per substantiam partium ad venas viam sibi parat, tendit ad cor, illius dextrum ventriculum ingreditur, qui bis sinistri cordis ventriculi magnitudinem excedit. Sinister mediam sanguinis partem recipit, tot sunt cordis pulsationes: unde tanta sanguinis copia dissiparetur, nisi jugiter sanguis ad cor reverteretur. Venarum valvulæ circuitum sanguinis demonstrant, illius impetum remorantur. Factâ in venâ ligaturâ, sanguis effluit versùs extremitatem. Sunt venarum anastomoses. Constrictio arteriæ, quâ supprimitur venosus sanguis, circularem sanguinis motum confirmat. Hoc fit propter venarum constrictionem.

CORPUS tamdiù vivit, quamdiù movetur. Partium motus ab humoribus: horum verò decursus, & commeatus à subtili materiâ seu spiritu: hunc subministrat cerebrum per nervos, qui à variis scaturiunt partibus, disseminantur per totum corpus. Alii à cerebro originem ducunt: multi ab ipsâ spinali medullâ oriuntur. Ab illis omnes corporis partes moventur: illorum ope anima sensationibus afficitur, quæ à solâ reflectione non pendent. Nec tantoperè jactitent illum, qui brachium amiserat, quique in brachio amputato se dolore affici asserebat. Erat quidem ægritudo de brachio amisso: sed fictitius erat dolor. Cæci, surdi, & qui paralysi laborant, in vanum ad colorem, sonum, & dolorem reflectunt; nec vident, nec audiunt, nec sentiunt.

NERVORUM, & spirituum interventu anima solum agit, nec apprehendit objectum spiritale. Ut anima cognoscat, debet fieri repræsentatio, quæ materialis est. Apprehensio objecti, quæ pendet ab animâ spiritalis est. Hoc in mentem cadit nostram. Concipere ens sine extensione in extenso & quale sit, est supra nostrum concipiendi modum. Principium cognoscens non quale nos afficit. Cum sit ens superius, agit in inferius, & movet corpora. Inter animam, & corpus vinculum inest, quod solâ morte dissolvi potest, quod est præsentia animæ in corpore, quæ in suis operationibus à materiâ pendet. Cum materia apta non est, desinit anima operari, & deserit corpus. Si anima in corpore sese à materiâ posset expedire, Deum contemplaretur, æternitatem respiceret, ens spiritale ita occuparet animam ut nullum agens eam avocare posset. In somno cum involutæ sunt species, liberè Deum amore prosequeretur.

CORPORIS partes, quæ idoneum suscipiunt alimentum, sensim sine sensu spirituum beneficio illud subigunt. Illius pars fibrosa adhæret, & partis portionem constituit. Fluida per cutis spiracula erumpit, aut per alia loca excretioni dicata. Sanguis arteriosus tenuissimus excrementitium humorem attenuando foras expellit; venosus autem cum substantiâ densiori constet, irretitur, & nutrit partes. Anima spirituum ope hæc omnia præstat, qui sunt ipsamet subtilis materia, nec inter se discrepant. Tenuissimum quod concipimus in corpore, spiritus est, qui facilè sese extricat & corpora alia movet. Ne exhalet tubulis debet detineri, & blando humore perfundi. Illo utitur anima ad suas omnes functiones obeundas.

Ergo à spiritibus animæ functiones.

M. Joannes-Baptista Doye.
M. Urbanus Leaulté.
M. Michaël Pichonnat.
M. Franciscus Picoté de Belestre, Scholæ Professor.
M. Nicolaus Bailly.
M. Joannes Daval.
M. Nicolaus Lienard.
M. Philippus Douté.
M. Nicolaus Morin.



Proponebat Parisiis ARMANDUS JOSEPHUS COLLOT, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.